



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

**Haunold, Christoph**

**Ingolstadii, 1678**

Capvt I. De Existentia Dei, Essentia, Et Attribvtis In Genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)



CONTROVERSIARVM  
THEOLOGICARVM

LIBER. I.

DE DEO ET ANGELIS.

TRACTATUS I.

DE DEO, VT EST VNVS IN NATVRA.

CAPVT I.

DE EXISTENTIA DEI, ESSENTIA, ET ATTRI-  
BVTIS DIVINIS IN GENERE.

CONTROVERSIA I.

*Vtrum homini in Via & Cognitione Naturali possit Immediatè Evidens  
esse Existentiā DEI.*

I. **R**iplici sensu hæc Quæstio for-  
mari possit. Primus esset, an  
immediatè possit homini Evi-  
dens esse aliquod Prædicatum  
cum Deo Identificatum, & con-  
vertibile cum eodem, siue hæc  
Identitas ignoretur, siue sciatur à nobis. Secun-  
dus esset, querendo, utrum possit in viâ compara-  
ri iudicium immediatum, quo affirmaretur Existen-  
tiā Dei prout relucens in Existentiā Creaturæ, quam  
etiā & eodem iudicio immediatè affirmaremus,  
sicut auditā voce Petri, nobis benè notā, immédia-  
tè iudicamus existere Petrum, ut connexum cum  
voce quam audimus, & affirmamus existere. Ter-  
tius est, an seclusā omni connexionē Creaturæ exi-  
stentis cum Deo, possit intellectus immediatè de-  
terminari ad iudicandum; existere Deum sub con-  
ceptu Prædicati, quod omnes scimus esse con-  
vertibile cum Deo, adeoque ex hypothesi quodd tale  
prædicatum existat, omnium consensu etiā exi-  
stare Deus.

2. Non movetur Quæstio præsens in primo  
sensu. Ratio est, quia præsentī quæstioni non sa-  
tisfieret, si quis cum Recentioribus quibusdam  
supponeret, quadam prædicata converti cum Deo,  
quæ tamen alij negant converti. v.g. docent Re-  
centiores, veritates necessarias, seu ut rectius di-  
cam, necessitatem propositionum immediatè ex  
terminis evidentium, ut: *Totum est majus sua parte:*  
*Quodlibet est vel non est, &c.* item Possibilitates &  
Impossibilitates rerum, adeoque etiam impossi-  
bilitatem hujus: *Possè aliquid simul esse & non esse.*  
quæ est immediatè evidens, has inquam veritates  
docent illi identificari & converti cum Deo, quem  
dicunt esse omnium possibilium possibilitatem, &  
impossibilium impossibilitatem, & omnium ne-  
cessariorum necessitatem: hoc si verum esset, uti-

quæ aliquod Divinum Prædicatum esset immediatè  
Evidens, & tamen adhuc remaneret indagandum,  
an immediatè possit esse evidens, existere Deum  
sub conceptu prædicati indubitabilis, quodd sit pro-  
prium Dei, cujusmodi sunt: *Esse Principium Pri-  
mū omniū, esse Ens sibi sufficiens, omnipotens &c.*  
hæc inquam prædicata, eorumque existentia, non  
continentur formaliter & explicite in hac veritate:  
*Totum est majus sua parte.* sed opus est longiore dis-  
cursu, vt eruatur: v.g. hoc discursu: *Totum esse*  
*majus sua parte, est Veritas necessaria: ergo illius ne-*  
*cessitas existit ab æterno: sed nihil existit necessariò*  
*ab æterno nisi Deus, Principium primum omnium;*  
*ens sibi sufficiens, Omnipotens, &c.* ergo existit  
Deus &c. ergo à primo ad ultimum, quemcunq; la-  
teret hic discursus, eundem lateret immediatè cog-  
nita existentia Dei sub conceptu prædicati indubi-  
tabilis, quodd sit Prædicatum Divinum.

3. Neque etiam procedit Quæstio in Secun-  
do sensu. Vel si quis in hoc sensu eam disputare  
velit, cum remitto ad Philosophiam, in quā tenui,  
& adhuc teneo, illa objecta, quæ repetitis argu-  
mentationibus & illationibus affirmantur, posse  
tandem intellectui fieri tam familiaria, ut absque  
modo tendendi illativo, qui exprimitur per par-  
ticulam *ERGO*, possit Immediatè assentiri simul  
& semel objecto Materiali & Formali; cujus rei  
exemplum jam paulò antè insinuavi; qui enim ex  
auditā voce Petri, per discursum deduceret Petrum  
esse præsentem, posset tandem immediatè iudica-  
re: *hæc vox est connexa cum Existentiā Petri, qui est*  
*præsens.* ergo hoc ipsum contingere posset illi; qui  
sæpè frequentatis demonstrationibus, quibus ex  
creaturis existentibus probatur existentia Dei in  
ratione Primi Principij, acquireret facilitatem ju-  
dicandi immediatè connexionem existentie crea-  
turæ cum existentia Dei.

A

4. Pro-



4. Procedit itaque Quæstio in Tertio sensu, an possit existentia Dei esse immediatè evidens independentè ab omni connexione cum creaturâ existente, & sub conceptu talis Prædicati, quod omnium consensu est Prædicatum divinum, v. g. esse *Primum Principium*, esse *Ens essentialiter existens ab eterno*, *independens ab omni alio*; &c. In quâ Quæstione:

5. Dicendum est, non posse à nobis naturale iudicium evidens immediatum in hac vitâ comparari, quo independentè ab omni connexione cum creaturâ, cujus existentiam experimentaliter cognoscimus, iudicemus existere Deum. Probatur. Vel hoc iudicium esset iudicium de existentia Dei ut sic, præcindendo ab hoc altero prædicato, quod existat *essentialiter*, *necessariò*, & *indefectibiliter*, vel, quo iudicaretur existere *essentialiter*, *necessariò*, *indefectibiliter*. Neutrum iudicium haberi potest: ergo nullum. Minor probatur quoad primum membrum. Quidquid nullo modo, ne quidem secundum aliquid sui est aptum terminare cognitionem experimentalem existentia suâ, non potest etiam terminare iudicium immediatum evidens existentia suâ; sed Deus non est aptus terminare cognitionem experimentalem existentia suâ: ergo nec iudicium immediatum evidens. Major probatur. Quidquid terminat immediatum iudicium evidens existentia suâ, debet ad hoc iudicium determinare & movere per Physicum influxum, qui fieri non possit nisi ab objecto existente: sed quidquid nostrum intellectum in hac vitâ sic movet, hoc ipso movet & determinat ad cognitionem Experimentalem suâ existentia: ergo quidquid non est aptum terminare cognitionem Experimentalem suâ existentia, non est aptum terminare iudicium immediatum evidens suâ existentia.

6. Probatur etiam quoad Secundum Membrum. Deus in hac vitâ non potest cognosci nisi per species abstractas, alienas, alterius objecti per se repræsentativas. ergo non potest haberi iudicium immediatum evidens, quo affirmemus Deum essentialiter, necessariò & indefectibiliter existere. Probatur consequentia. Species alienæ non possunt intellectui immediatè evidenter manifestare prædicatum Majoris Perfectionis, quàm sint prædicata illius entitatis, cujus illæ species sunt propria; sed nulla species in hac vitâ comparabilis, est propria alicujus entitatis habentis hoc prædicatum: *existere essentialiter*, *necessariò*, *indefectibiliter*: & hoc prædicatum est utique majoris perfectionis, quàm sunt prædicata illius entitatis creatæ, cujus species possumus comparare: ergo nullius speciei beneficio potest haberi iudicium immediatum evidens, quo affirmemus, Deum existere necessariò, essentialiter, indefectibiliter.

7. Obijciunt I. Significatum vocis *Deus*: est ens optimum, quo melius excogitari non potest; ergo qui hoc significatum debito modo apprehendit, determinatur ad iudicandum immediatè Deum esse ens essentialiter existens. Probatur

conseq. ex terminis enim notum est, hoc prædicatum: *existere essentialiter*: esse melius quàm ejus oppositum; & ex terminis etiam notum est, ens Optimum, quo melius cogitari non potest, habere omne Prædicatum quod melius est quàm suum oppositum: item ex terminis notum est, esse ens Reale esse melius, quàm esse ens Chymaticum: ergo à primo ad ultimum ex terminis his benè apprehensis, quid intelligatur per Deum, per *existere essentialiter*, per *esse ens reale*, per *esse optimum*, determinatur intellectus ad iudicandum immediatè: *Deus est ens essentialiter existens*, non minùs quàm apprehensis bene terminis significatis per *Totum*, & *Partem*, determinatur intellectus ad iudicandum, Totum esse Majus suâ Parte. Probatur paritas. Quia sicut *Totum* dicit continentiam *partis* cum excessu, ita *Optimum* dicit continentiam cujuscunque particularis perfectionis simpliciter simplicis (qualis est Existentia Essentialis) cum excessu cæterarum omnium perfectionum.

8. Ad hoc argumentum, quod paucis indicavit S. Thomas q. 2. a. 1. ad 2. ex ejusdem sensu & mente responderetur; Etiam si totum concedatur, non esse probatum aliquid contra Conclusionem. Probatur quidem hoc argumento, hanc propositionem *Deus est ens essentialiter existens* esse nobis immediatè notam & evidentem in sensu Conditionato, & præcindente ab existentia absolutâ subjecti, hoc est, non affirmando existentiam subjecti; ut sensus sit; *Si existit Deus, existit essentialiter*: sed non probatur, quòd determinemur ad affirmandum simpliciter & absolutè: *existit Deus*, & *quidem essentialiter*: & hoc negatur in Conclusionem; sicut etiam affirmando Totum esse majus suâ parte, non hoc ipso affirmamus, existere aliquod totum, illudque esse majus suâ parte.

9. Pari modo hæc propositio: *Ens optimum essentialiter existit*, non est nobis immediatè nota & evidens nisi in sensu conditionali: *Si est possibile ens optimum, illud essentialiter existit*. Non est autem immediatè & ex terminis notum ac evidens, ens optimum esse ens Reale & Possibile: Si enim hoc esset, jam pariter ex terminis notum fieret, ens optimum defacto existere essentialiter; quia alioquin non conciperetur Ens quo Melius cogitari non potest, melius enim esset ens essentialiter existens. Recipiunt hanc responsionem Recentiores P. Mart. Esparza q. 1. ad 2. dicentes, quòd in sensu tantum conditionali est per se nota existentia Dei sub eo conceptu, nempe: si est possibile aliquid quo melius cogitari nihil possit, id utique existit. quæ verba notanda sunt in confirmationem eorum, quæ sequenti Controversiâ contra eosdem disputabimus.

10. Obijciuntur 2. Variæ locutiones SS. PP. ubi dicunt Deum à quovis videri posse, & defacto videri. Imò & Job, c. 36, dicit: *omnes homines vident eum*. 32. Sicut hæc locutiones non possunt accipi de Visione propriè dictâ, quo sensu S. Scriptura Deum dicit Invisibilem, ita non sunt accipiendæ de Judicio evidenti immediato, sed solum de mediato, & illativo, quod haberi posse, mox dicitur.

11. Obijci-



11. Obijcitur. 3. Ex terminis est notum dari Veritatem. Sed Deus est Veritas: Ioan. 6. ergo ex terminis notum est, esse Deum. Major probatur. Qui enim negaret dari Veritatem ullam, proferret propositionem suipsius destructivam; diceret enim virtualiter: *Verum est, nullam dari veritatem*, & sic iam simul & semel diceret, dari aliquam, & nullam veritatem.

12. R. Argumentum esse in Secundâ Figurâ ex puris Affirmativis, & ideo Vitiosum: quod si redigatur in Primam Figuram, Majorem sic ponendo: *omnis Veritas existit*; est propositio falsa in sensu physico. Si verò ponatur Particularis: *aliqua veritas existit*: argumentum iterum non concludit, constans Majore Particulari in Primâ Figurâ directè concludente. Sed dissimulando hæc, Argumentum, si quid probaret, solum probaret, Deum esse immediatè notum sub conceptu alicujus prædicati convertibilis quidem cum Deo, (si vera est doctrina RR. suprâ insinuat, quòd Deus sit verificativum omnis propositionis necessariæ) sed cujus convertibilitas non est omnibus nota, & à plurimis negatur. In hoc autem sensu non agitari præsentem quæstionem, statim ab initio notavimus.

## CONTROVERSIA II.

*Verum, & quibus Argumentis possit Existentia Dei Metaphysicè demonstrari. Vbi obiter, an hoc sit de fide.*

13. Posse probari Existentiam Dei Argumentis quemvis intellectum benè dispositum Convincens, est constans Theologorum assertio, contra quosdam existimantes, non posse de Existentiâ Dei nisi Moralem, hoc est, non nisi Imprudenter Negabilem Evidentiam haberi. Nitiur illa Communis doctrina Testimonijs S. Scripturæ, quæ adduximus in Institutionibus Theologicis, quibus nimirum asseritur, quòd gentilibus Philosophis Deus se ex Creaturis manifestaverit, ad Rom. 1. v. 19. sap. 13. & intelligibilis fuerit.

14. Controversia tamen est, utrum de fide sit hæc doctrina. Negat Vasquez; asserit Valentia, Suarez, & communis Theologi; qui fortasse in re non dissentiunt, sed solum in diversâ acceptione eorum, quæ debeant dici, esse de fide. Quoad rem ipsam Censeo dicendum esse, Testimonia allata loqui & intelligenda esse de demonstratione Metaphysicâ, quâ Deus ex creaturarum existentia demonstratur existere, & quam paulò post proponemus, adeoque in S. Scriptura existere reipsa sufficientem immediatam Revelationem hujus Veritatis, & per consequens eandem Veritatem esse fide divinâ credibilem omni illi, cui illa Revelatio sufficienter per Motiva Credibilitatis applicatur. Ratio est, quia, ut ipse Vasquez fateatur, defecto habetur hujusmodi demonstratio: ergo S. Scriptura potest de hac demonstratione intel-

ligi: Vtteriùs: Demonstratio Metaphysica est omnium propriissimè cognitio manifesta & evidens, utpote excludens omnem potestatem tergiverlandi: atqui Scriptura S. quando potest, debet in sensu maxime proprio accipi: ergo &c. Sed ad ipsas Demonstrationes veniamus.

### §. I.

*Demonstratur Existentia Dei ex Creaturis sub conceptu Entis Improducti, & Principij cæterorum.*

Cum hanc Demonstrationem hodie Philosophi sibi conficiendam assumant, instituto meo satis erit eam paucis retulisse.

15. Sub conceptu Entis à se, & Primi Principij omnium & singulorum Entium Productorum, negatur Deus ab Atheis, bene advertentibus, quòd si Deum sub hoc conceptu concederent, facilè inde deducerentur cætera Prædicata Propria Dei, cujusmodi sunt: esse Vnum, Aeternum, Immensum, Omniscentum, Finem rerum omnium, Primam Regulam Morum &c. Unde, ut benè notavit P. Ant: de Quiros, qui concederet dari Ens Improductum Principium cæterorum, & negaret unum ex alijs Divinis Attributis, v. g. Providentiam, Omnipotentiam, non tam esset Atheus, quàm Blasphemus; reipsa enim concederet Deum, sed malè sentiret de Deo, negando illi, quod illi convenit. Hoc posito,

16. Demonstratio Entis Improducti est expedita, si præsupponatur demonstratum, quòd repugnet Infinitum generationum & productionum, tam successivè quàm simul existentium. Evidens enim est aliquid de novo produci; & quamvis quæ videmus extra nos produci, tantum faciant evidentiam physicam de sui existentia, est tamen metaphysicè evidens, saltem illam cognitionem, quàm in nobis de novo experimur, de novo produci. atqui nihil producit à seipso, quod etiam est metaphysicè evidens: ergo producit ab alio. Vtteriùs: Vel illud Aliud iterum producit ab alio Tertio, & hoc iterum à quarto, &c. vel non. si non: ergo datur ens Improductum. si sic: ergo cum non possit procedi in Infinitum, ut supponitur, tandem in aliquo Improducto sistendum erit.

17. Dices, hanc Ultimam Consequentiam non esse metaphysicè evidentem; non est enim metaphysicè evidens, falsam esse opinionem quæ admittit Mutuam Causalitatem etiam in genere Cause Efficientis: quo posito; dici potest, absque processu in Infinitum posse intelligi, quòd omnia existentia sint ab alio producta, per Reciprocam nimirum Productionem.

18. Sed contra est. Quia Athei non astruunt duo Principia à se invicem producta ab æterno: & evidenter falsa est sententia, quòd possint duo se Mutuò causare Efficienter, secundum Primum sui esse; hoc enim intellectui benè disposito tam est imperceptibile, quàm quòd aliquid immediatè det sibi Primum sui esse.

A 2

19. Cæte-



19. Caterum, in presenti Liberalius & fidentius agendum est; & quia multorum est opinio post S. Thomam, hic q. 64. a. 2. & Philosophum, & Phys. 5. de Caelo. Possibiles fuisse generationes Successivas Infinitas ab aeterno, quarum tamen nulla determinatè spectata fuerit ab aeterno, aut omnium Prima, sicut de futuris infinitis syncategorematicè cognitionibus philosophamur, nullam determinatè fore Ultimam & in Termine aternitatis; ideo hac opinione interim quasi verà permittà, potest nihilominus existentia Entis Improducti demonstrari hoc modo.

20. Si tota collectio Entium productorum producitur ab alio, datur Ens improductum: sed tota collectio entium productorum producitur ab alio: ergo datur Ens Improductum. Major propositio non eget probatione, supposita repugnantia Mutua Causalitatis quoad Primum esse, & supposito etiam, quod omne Producent Realiter distinguatur à suo Effectu Producti; quæ adeo vera sunt, ut nec Athei negent. Minor ergo probanda est. Si Singula producta producuntur ab alio, tunc etiam Tota Collectio productorum producitur ab alio: Sed verum est prius, ergo & posterius. Negant Athei Majorem, & Sequelam illius. Illatio enim à sensu Distributivo ad Collectivum, non valet universim. ex. gr. Singuli homines non habent nisi duos oculos, & sunt alteri homini similes &c. neque tamen hinc rectè intuleris: ergo Tota Collectio hominum non habet nisi duos oculos, & est alteri homini similis: ergo nec valebit hæc consequentia: Singula entia, quæ in toto Universo existunt, sunt ab alio producta: ergo Tota Collectio illorum entium est ab alio producta. Alia exempla sunt: Singula partes sphaeræ cælestis moventur extra suum spatium in quo prius existerant: nec tamen tota Sphaera moveatur extra suum spatium: Singula partes hominis sunt aliquid Incompletum: nec tamen totus homo est aliquid Incompletum. Ex his patet, falsam esse propositionem, quæ in argumento nostro tacite supponitur: Omne prædicatum quod convenit Singulis contentis in aliquâ collectione, convenit etiam Toti collectioni.

21. Sed contrà. Quemadmodum in aliquibus consequentia à sensu Distributivo ad Collectivum non valet, ita e contrario certum est, in aliquibus valere. v. g. Singula accidentia indigent subiecto: ergo tota collectio accidentium indiget subiecto: Singuli homines sunt in Prædicamento Substantiæ; ergo Tota collectio hominum est in prædicamento Substantiæ. Et ne longè abeamus, habemus in presenti questione instantiam manifestam ad hominem. Atheus dicit, & ponit hanc Thesin. Omne Ens existens est realiter contradistinctum ab ente simplici improducto, utpote chymærico, vel sic: *de quolibet ente existente est negabile, quod sit ens improductum simplex.* Quæro, an & hæc sit vera: *de totâ collectione entium existentium est negabile quod sit ens improductum simplex?* Si affirmas? ergo in hoc casu valet illatio à sensu

Distributivo ad Collectivum. Si negas? ergo Contradictoria illius vera erit: *de totâ Collectione entium existentium non est negabile, quod sit ens improductum simplex.* quæ est ex terminis falsissima. Ergo negari ne quidem ab atheo potest, aliquando à sensu distributivo ad Collectivum valere argumentum, sive quod idem est, dari aliqua prædicata, quæ sicut verificantur de Singulis alicujus Collectionis, ita verificentur etiam de totâ collectione. Querenda ergo est Regula, cognoscendi, quandomam valeat, quando non valeat, & deinde nostro casui applicanda est.

22. Regula autem est hæc. Quotiescunque Prædicatum convenit Singulis alicujus collectionis eatenus consideratis, quatenus opponitur toti collectioni, tunc nunquam potest hujusmodi Prædicatum convenire toti collectioni; e contra, quotiescunque Prædicatum Adjektivè prolatum convenit Singulis ex collectione, ita ut ratio conveniendi non sit quatenus opponitur toti collectioni, tunc etiam convenit toti collectioni. Ratio prioris partis Regulæ est, quia impossibile est, unum Oppositorum convenire cum altero opposito eatenus, quatenus illi opponitur, alioquin idem cum eodem conveniret & non conveniret; *opponi enim est non convenire.* quia propter, quàm est impossibile partem, quæ pars est, hoc est, prout exclusiva cæterarum partium, esse totam collectionem, tam est impossibile, prædicatum conveniens parti quatenus pars est, convenire toti collectioni. Ratio secundæ partis Regulæ est; quia quando Ratio conveniendi Uni non excluditur per accessum alterius, cui secundum se etiam convenit prædicatum, tunc hoc ipso prædicatum quod convenit Singulis, convenit etiam toti collectioni. Atqui, quotiescunque prædicatum convenit Singulis, & non eatenus, quatenus opponuntur cum tota collectione, tunc Ratio conveniendi non excluditur, ut per se evidens est: ergo quod convenit Singulis, convenit etiam toti collectioni.

23. Prior pars Regulæ verificatur in exemplis pro Atheo allatis: nam hoc prædicatum: *esse præditum duobus tantum oculis:* convenit singulis hominibus prout seorsim ab alijs hominibus acceptis, adeoque prout oppositis cum totâ collectione, & sic de cæteris.

Secunda pars Regulæ convenit exemplis contra Atheum allatis; Nam ratio quare unum accidens sit subiectatum, non excluditur per accessum alterius accidentis etiam subiectati, & sic de cæteris.

24. Hujusmodi autem prædicatum est, *esse productum ab alio:* non enim minus verum est dicere de Petro & Paulo simul sumptis: *hoc binarium est productum ab alio;* quàm de singulis: ergo Ratio productionis Passivæ in Petro non excluditur per accessum productionis passivæ in Paulo. Ergo à primo ad ultimum, si de singulis productis est verum dicere: *esse producta ab alio:* de totâ etiam collectione productorum erit verum dicere: *esse productam ab alio.* Eadem Regula alijs terminis



minis idem significantibus exprimi solet hoc modo.

25. Tunc valet à sensu distributivo ad Collectivum, quando prædicatum quod tribuitur singulis, non minuitur aut tollitur per conjunctionem cum altero: quando autem omnino tollitur aut minuitur, non valet. v.g. Singuli lapides aliquis acerui non excedunt meas vires, quin possint à me gestari: nec tamen valet: ergo totus aceruus simul potest à me gestari. Ratio est, quia secundus lapis accedens priori auget Gravitatem, cuius absentia erat ratio cur possem unum gestare; ergo accessus alterius minuit rationem ob quam possum unum gestare. Econtrario valet hæc consequentia: Singuli lapides positi secundum lineam perpendiculararem, indigent fulcro & obstaculo ne moveantur ad centrum terræ: ergo tota collectio etiam infinitorum lapidum sibi superimpositorum indiget fulcro, ne moveatur ad centrum. Ratio est, quia superimpositio secundi non minuit rationem indigentia quæ est in quolibet lapide.

26. Pari modo: *Productum esse ab alio*, est prædicatum quod non minuitur per accessum alterius producti: ergo sicut verificatur de singulis, ita de tota collectione. Antecedens per se patet, & à pari confirmatur. *Produci* sonat Indigentiam & Beneficium alterius, necessarium ad sui existentiam: sicut ergo unius mendici Indigentia non tollitur aut minuitur per accessum infinitorum mendicorum, ita nec prædicatum hoc: *esse productum ab alio*, per accessum aliorum productorum.

§. II.

*Vtrum independenter ab Existentiâ Creaturarum possit demonstrari Deus sub conceptu Entis Carens omni defectu, seu habens cumulum Omnium Perfectionum.*

27. Recentiores Hispani, elucubrationibus suis in Germania celebres, & ob ingenij acumen æstimandi, non contenti Demonstrationibus à creaturarum existentia deductis, existimant Dei Existentiam independenter ab his, & sic quodammodo à Priori Demonstrari posse, Demonstrationibus quidem adeo parentibus, & absque molimine procedentibus, ut mirum esset, eas Angelicum intellectum S. Thomæ, ne dicam, ceteros omnes, fugisse, si legitime essent. Contra hos

28. Censeo, nullam huiusmodi Demonstrationem adduci posse, quæ Atheum convincat, quam diu non assumitur Existencia alicujus Creature. Hæc est indubitata mens D. Thomæ 1. *Contra Gent.* c. 12. prope finem. *In rationibus*, inquit, *in quibus demonstratur Deum esse*, non oportet assumi pro Medio Divinam Essentiam, seu quidditatem (prout faciunt isti RR.) sed loco quidditatis accipitur pro Medio Effectus. In sua summa verò: q. 2. a. 1. in C. in fine, sed quia nos, inquit, non scimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota (Existencia illius) sed in-

diget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, scilicet per Effectus. Post hæc art. 3. assert. Angelicus D. quinque argumenta ad probandam Existentiam Dei, quæ omnia sunt ex Creaturis deducta. Primum ex motu: 2. Quod non procedatur in Infinitum in causis defecto existentibus. 3. Quod dentur Contingentia. 4. Quod inter ea, quæ sunt magis & minus, detur supremum. 5. Ex eo, quod agentia inanimata semper agant eodem modo, & consequenter propter finem, non à se, sed ab alio intentum. Ex quibus omnibus apparet, S. Thomæ nunquam venisse in mentem, ut tentaret demonstrare Existentiam Dei independenter ab Existentiâ Creaturarum. Sed nunc Demonstrationes ipsas inspiciamus. Itaque,

29. P. Antonius Perez 1. p. d. 1. c. 4. hanc exhibet Demonstrationem. *Nullum bonum est, esse chymaram. Sed carens omni defectu est bonum. Ergo carens omni defectu non est chymara.* Hoc si illi concederes, inferret utique legitime: sed Ens potens non existere, non caret defectu: ergo Ens carens omni defectu non potest non existere: ergo existit essentialiter; ulterius: *esse Productum* etiam dicit defectum: ergo existit ens improductum.

Deinde c. 5. huic primæ demonstrationi addit (ut ipsi videtur) hanc secundam. *Non est defectus, non pervenisse aliquid ad hoc ut non sit chymara; sed est defectus, non pervenisse ad hoc ut sit optimum, habens cumulum omnium perfectionum: ergo optimum non est Chymara.*

30. Hæc duo argumenta, meo iudicio, non differunt nisi vocibus. Nam Tò *esse cumulum omnium perfectionum*, est formalissime, *carere omni defectu*. Defectus enim formaliter aliud non est, quàm Carentia perfectionis: ergo Carentia omnis defectus est, formalissime Carentia Carentiæ omnis Perfectionis: atqui carentia carentiæ omnis perfectionis est formalissime cumulus omnis perfectionis, sicut carentia carentiæ lucis est formalissime ipsa lux. Item hoc quod est, *chymaram non esse bonam* formaliter dicit, aut certè infert, *non esse chymaram non esse defectum*, ut consideranti liquet. Verum si duo sint argumenta, siue vnum;

31. DICO, non esse demonstrationes aptas ad convincendum Atheum, sed fallaces argutias. Non potest hoc melius ostendi, quàm applicando hunc argutandi modum ad probandum, aliquid esse possibile, quod evidens est repugnare.

32. Posset inquam hac ratione probari, possibilem esse numerum finitum maximum, qui tamen evidenter repugnat; nam unicâ unitate adjectâ evaderet, & non evaderet infinitus. evaderet: alioquin daretur numerus finitus Major Maximo. non evaderet: quia Finitum additum Finito non facit Infinitum. Sic igitur argumentari licebit. Nullum bonum est esse chymaram. Sed numerus carens omni defectu Unitatis est bonus: ergo numerus carens omni defectu Unitatis, non est chymara. Sed numerus carens omni defectu



Unitatis est numerus finitus maximus omnium possibilium: ergo numerus Finitus Maximus omnium possibilium non est chymara. Item sic. Non est defectus, non pervenisse ad esse Chymaram. sed est defectus, numerum non pervenisse ad cumulum omnis numeri finiti: ergo iste cumulus non est chymara: sed iste cumulus est numerus finitus maximus: ergo &c. Quid improbabis in hoc argumento, quod Atheus in tuo non possit inficiari?

33. Respondebis nimirum ad utrumque argumentum, negando Minorem, & dices, illius Subjectum esse Chymaram, quia de essentia numeri est, includere defectum ulterioris additamenti possibilis. Benè est. Eodem modo Atheus negabit Minorem utriusque Argumenti tui, dicetque, de conceptu omnis entis possibilis esse, quod includat aliquem defectum, nempe defectum Dependendiam ab alio, Inceptionis in Tempore, &c.

34. Instabis tamen, & dices, non esse paritatem: nam Implicantia numeri finiti maximi, clarè probatur, Implicantia verò Entis carentis omni defectu, nunquam probari potest ab atheo. Rectè dicis. Sed ex hoc ipso manifestè concluditur, Argumentum Perezianum non esse demonstrationem. Nam ipse P. Perez, tr. 2. de Scientiâ Dei d. 1. c. 4. n. 30. rejicit à ratione Demonstrationis omne argumentum quod tandem fundatur in eo, quod non possit ostendi repugnantia talis perfectionis, rejiciendo onus in adversarium. hoc autem fit in argumento Pereziano, dum supponit, ens carens omni defectu non implicare, & ideo esse bonum. Unde, ut rectè advertit Card. Pallavicinus, Atheus responderet, illas propositiones esse falsas, non quidem hoc sensu, quod si daretur Subjectum illarum propositionum, Prædicatum illi non conveniret, revera enim si daretur Ens carens omni defectu, Prædicatum illi conveniret: esse Bonum & non esse Chymaram. Sed quia sunt de subjecto non supponente, sicut est falsa hæc: Deum entia carentia omni defectu, sunt bona. Numerus includens omnem numerum possibilem, est numerus realis Maximus. item: creatura includens omnes perfectiones creatas posibles, est creatura perfectissima. Declaratur ampliùs. Si quæram ex adversario, quare argumentum applicatum numero finito maximo non concludat, respondet: quia implicantia illius numeri aliunde probatur. Infero: ergo si implicantia illius aliunde non probaretur, habendum esset pro Demonstratione, quod est absurdissimum: Sic enim sequeretur, posse Demonstrari Mystrium Trinitatis, (cujus implicantia non potest probari) hoc modo. Trinitas carens omni defectu est bona: esse chymaram; non est bonum: ergo Trinitas carens omni defectu, non est chymara.

35. Replacabis tamen iterum, & dices, Possibilitatem Entis carentis omni defectu, & includentis omnem perfectionem realem, posse positivè demonstrari hoc modo. Illud est possibile quo posito in rerum naturâ nulla sequitur contradictio: atqui Ens carens omni defectu & includens omnem perfectionem realem, est

tale: ergo. Major est ex terminis nota, & propè identica. Minor est etiam evidens; nam Contradictio est maximus Defectus: ergo Ens carens omni defectu, hoc ipso caret Contradictione, alioquin idem simul includeret, & excluderet.

36. Hæc replica solvitur ab Atheo ad eum modum, quo simile argumentum, probans Possibilem Creaturam omnium possibilem Perfectissimam, vel Infinitum, vel Numerum finitum maximum, solvi à Philosophis solet. Illud est possibile, quo posito nulla ponitur Contradictio: sed posita creaturâ, quæ habeat simul omnes perfectiones, quæ à creatura simul sine Contradictione haberi possunt, nullam includit Contradictionem; hanc enim expressè excludit: ergo &c. atqui talis creatura est omnium possibilem perfectissima: ergo &c. Eodem modo discursi potest de numero finito maximo.

37. Solvitur inquam hoc argumentum hac distinctione. Creatura includens simul Determinatam collectionem perfectionum, quæ potest includi in una Determinata creatura, non includit contradictionem, concedo: creatura includens simul omnem collectionem perfectionum, quæ possunt indeterminatè, seu in quacunque creatura indeterminatè sumpta includi, non includit Contradictionem, nego. Pari modo Atheus, qui negat esse possibile Ens includens omnem perfectionem possibilem, responderet ad replicam, distinguendo. Ens carens omni defectu, seu includens omnem perfectionem collectivè, quæ est possibilis indeterminatè & distributivè, non includit contradictionem, negabit: includens omnem perfectionem determinatam, quæ in tali determinato ente v. g. homine, includi potest, non includit contradictionem, concedet.

38. Redeo nunc ad argumentum Perezianum, & ostendo illud esse vitiosum. Quæro itaque ex Adversario, quando dicis: Ens carens omni defectu, est bonum: Vel ex parte subjecti supponis explicite pro solo Ente Reali, & hoc sensu vis esse propositionem evidentem ex terminis; Vel præcindis ab Ente Reali & Chymarico. Si dicas primum, dupliciter peccas: primò, quia affirmas esse ex terminis notum, existere Deum sub conceptu entis optimi: quid enim aliud est Deus sub explicito conceptu, quam Ens carens omni defectu, adeoque essentialiter existens? Sed audiamus S. Thomam mecum sentientem. hic q. 2. a. 1. ad 2. Dato etiam, quod quilibet intelligat, per hoc nomen, DEVS, significari illud, quo majus cogitari non potest, non tamen hinc sequitur, quod intelligat, id quod significatur per hoc nomen, esse in rerum naturâ, sed in apprehensione intellectus tantum, nec potest argui. NB. quod sit in re, nisi daretur (hoc est concederetur) quod sit in re aliquid quo majus cogitari non potest, quod non est datum (hoc est concessum) à ponentibus Deum non esse (hoc est ab Atheis.) Peccas Secundò, & quidem S. Thomâ judice, quia supponis in Minore id, quod contra Atheum erat inferendum in Conclusionem. Nam Ens reale carens omni defectu, est illud



est illud ipsum, quod negat Atheus, & esset demonstrandum.

39. Si verò dicas te præscindere an Ens carens omni defectu sit Reale vel Chymaricum, hoc ipso Propositione tua est falsa. Nam conceptus præscindens ab Ente Reali & Chymarico, etiam præscindit an sit Bonum vel non sit Bonum, alioquin etiam Chymara erit Ens Bonum, quod enim convenit subiecto præscindenti, convenit singulis membris à quibus præscinditur, ut in Logica docetur. Et hoc circa primum hujus Authoris argumentum.

## §. III.

*Verum demonstretur Deus ex Propositionibus aeternae veritatis.*

40. P. Martinus Esparza q. 2. de Deo ar. 4. secutus Magistrum suum P. Antonium Perez, existimavit posse demonstrari Existentiam Dei sub conceptu Entis simpliciter necessarij, hoc modo. Dantur veritates aliquæ objectivæ simpliciter necessariae, & essentialiter invariabiles ac aeternae: quia istae propositiones: Quodlibet est vel non est: Impossibile est idem simul esse, & non esse: Homo est Animal Rationale, & similes, sempiternae veritatis communiter dictae, cuicumque demum Durationi aut Temporis Differentiae applicentur mentaliter ab intellectu, necessariò ac invariabiliter evadunt verae: quod fieri non potest, quin dentur à parte rei veritates objectivæ necessariae & invariabiles: quia veritas formalis dependet essentialiter ab objectiva, utpote consistens in Conformitate cum illa. Veritas autem objectiva, est Passio Entis Realis, indistincta realiter ab eodem: eatenus enim unum quodque est Verum objective, ac cognoscibile verè, quatenus à parte rei est tale, quale est representabile ac cognoscibile per cognitionem formaliter veram. Quapropter implicat in terminis, dari à parte rei veritatem, veramque cognoscibilitatem, & tamen nihil dari à parte rei, nullamque existere Entitatem cum qua identificetur, vel in qua aqualiter fundetur talis veritas ac cognoscibilitas. Datur igitur à parte rei, & verè existit Ens simpliciter necessarium, essentialiter invariabile & aeternum. Tale autem Ens communiter dicitur, & verè est Deus. Hanc argumentationem, inquit citatus Author, esse insuperabilem, & non nisi homini indisciplinato posse levem videri. Pro eadem citat S. Anselmum, S. Augustinum, ac præcipuè D. Thomam, q. un. de verit. 4. §. apud quem etiam priores citatos legere est.

41. Hanc ipsam argumentationem, & quidem consequenter, adhibet idem Auctor ad Veritates contingentes futuras, tam Absolutas quam Conditionatas, quarum verificativum debet, ipso iudice, dari de praesenti. Verum ejusdem Authoris in cathedra Theologica Successores, agentes de Scientia conditionata Dei, & etiam alij, ac in specie P. Sebast. Izquierdo, in *Pharo Scient.* d. 10.

q. 1. n. 39. & alibi, Principium hoc acriter impugnarunt, non obstante severiore censurâ, quod pro Indisciplinatis habendi essent. Disputare de verificativo Propositionum, ad Philosophos spectat. Mihi duo solum præstanda sunt. Primum, S. Thomam malè pro hac argumentatione adduci. Secundum: illam non esse Demonstrationem Metaphysicam, quæ stringat Atheum; quidquid sit de Probabilitate illius.

42. DICO ergò 1. S. Thomam loco citato nihil docuisse, quod allata argumentationi stabiliendae servire possit. Videatur Suarez disp. 8. Metaph. de Verit. sect. 7. praesertim à n. 19. ubi omnia Testimonia allegata ponderantur. Itaque S. Thomas docet, quod denominatio *VERI*, habeat se sicut denominatio *Mensurati*: porro denominatio *Mensurati*, à duplici forma desumi potest; ab una inhærente; sic v. g. Lignum mensuratur à Linea, superficie, profunditate sibi inexistente, etiamsi nulla exterior mensura adhibeatur: Altera forma potest esse extrinseca aliqua Mensura, v. g. vlna: sic etiam res dicuntur & denominantur *verae*; imprimis à forma inhærente; atque S. Thomas hanc formam inhærentem aliud non esse, quam ipsam rei cujusque Entitatem intellectui Adæquatam: deinde res denominantur *verae* à forma extrinseca, scilicet à Cognitione conformi. His suppositis infert S. D. Veritatem rebus extrinsecam (quæ est Veritas formalis) esse duplicem; Increatam, nempe cognitionem divinam; & creatam, nempe cognitionem hominis, vel Angeli: Unde concludit, nullam dari Veritatem aeternam nisi increatam, quæ erat quaestio illius articuli. Ex quibus omnibus clarum est, quod S. Thomas identificaverit quidem cum Deo Veritatem formalem aeternam, & illam denegaverit cognitioni creatæ, sed nullo verbulo dixerit, veritatem objectivam rerum identificari cum Deo (prout eum dixisse vellet P. Esparza) imò expressè contrarium dixerit. audiamus ipsum. In hac, inquit, *adequatione vel commensuratione intellectus ac rei, non requiritur, quod utrumque extremorum (nempe tam veritas formalis, quam objectiva) sit in actu: intellectus enim noster potest nunc adequari his, quæ in futurum erunt, nunc autem non sunt, aliàs non esset hac vera: Antichristus nascetur: unde hac denominatur Vera, à Veritate quæ est in intellectu tantum, etiam quando non est res ipsa; similiter etiam intellectus divinus adequari potuit ab aeterno his quæ ab aeterno non fuerunt, sed in tempore sunt facta, & sic ea quæ sunt in tempore, denominari possunt vera ab aeterno à veritate aeterna.* Vides quam disertis verbis S. D. non requirat verificativum ab aeterno existens, & veritatem formalem solam, non autem objectivam, dicat esse aeternam?

43. Duo insuper adverto. Primum, quod S. D. expressè loquatur de Enuntiationibus contingenter tantum, & non necessariò Veris, uti est; *Antichristus nascetur*: quarum veritas objectiva non potest esse aliquid Necessarium, sed Contingens esse debet: ergo non erit Deus. quid ergò? an Decretum Dei? ergo argumento P. Espar-

zæ de-



za demonstrabitur, Decreta Dei esse adequata intrinseca Deo? hoc ne ipse P. Esparza dixerit, qui illam sententiam non nisi ut magis probabilem tueretur. Quomodo ergo hoc loco patrocinatur illi S. Thomas? Adverto 2. Quod S. Thomas doctrinam traditam in quaestione de Veritate, retulerit in suam Summam q. 16. quae est de Veritate. & quia prius q. 2. probaverat alijs argumentis, dari Deum, deinde q. 14. Deum esse Omniscentum; postmodum q. 16. infert, solam Veritatem Divinam esse aeternam: sed P. Esparza ordine retrogrado probat existentiam Dei, ex eo quod datur Veritas aeterna. non ergo loquitur S. Thomas de Veritate Objectiva, sed de Formali.

44. DICO 2. Argumentationi allatae promptè, & consentaneè ad sua principia, respondebit Atheus, etiamsi concedat adversario, quod propositionum necessarium verificativum datur ab aeterno, & in quavis differentia temporis. Principium Athei est; per totam aeternitatem necessarium semper existere aliquid, sive hoc individuum, sive aliud: dicit ergo Atheus. 1. Quodlibet huiusmodi individuum esse Verificativum cuiuscunque propositionis necessariae, v. g. huius: *quodlibet est vel non est*: Dicit. 2. has propositiones dici invariabiles, quatenus in quavis differentia temporis habent Verificativum aliquod, licet non semper idem numero; quo sensu etiam ipsum verificativum est invariabile, hoc est, impossibile est non existere aliquod eorum, quod est esse invariabile formaliter, licet sit variabile materialiter. Dicit. 3. Vnamquamque speciem rerum habere intrinsecam essentialem Connexionem cum essentia cuiuscunque alterius speciei (quae est doctrina P. Perez) quoad Possibilitatem vel Impossibilitatem, & ideo existentiam cuiuscunque speciei v. g. hominis, esse Verificativam cuiuscunque alterius v. g. huius, *Equus est hinnibilis*. quia Essentia hominis exigit equum esse hinnibilem. Nihil ergo penitus movebitur Atheus argumento facto.

#### §. IV.

*Verum probetur Deus ex Contradictorio sui.*

45. P. Ant: Perez disp. 1. n. 61. proponit aliud Argumentum, vocans illud *planè argutum*, & sic habet. Vel existit Ens summe perfectum, vel non existit: Si existit, habeo intentum: si dicas non existere, ex hoc ipso probabo existere: nam si non existit, est impossibile: ergo datur necessitas non existentiae illius: hanc ergo necessitas necessario existit: atqui quod necessario existit, nullum habet defectum, & est summe perfectum, ergo ex eo ipso quod dicatur Deum non existere, infertur existere.

46. Ad hoc argumentum redditur eadem responsio, quae priori ex sensu Athei adhibita est. Respondebit Atheus, Negationem Dei esse necessariam, sed hanc necessitatem identificari cum necessitate quae inest collectioni omnium entium successivè existentium, ut existat aliquod illorum pro

quacunque differentia temporis. Ut ergo probetur existentia Dei, probandum est, totam collectionem esse contingentem, & dependentem ab alio: ergo à primo ad ultimum, nisi ad hanc probationem (quam supra exhibuimus) recurramus, vanus est omnis conatus contra Atheismum.

Postquam hæc Recentiorum Argumenta in scholis discussi & rejeci, anno 1651, postmodum anno 1666. pleraque vidi relata, iidemque tanquam fallacia sophismata rejecta à P. Sebastiano Izquierdo sr. 1. de DEO d. 1. q. 8. à n. 155. qui pariter concludit, Deum non nisi ex Creaturis experimentaliter cognitis, demonstrari posse.

### CONTROVERSIA III.

*In quonam Prædicato consistat conceptus quidditativus & formaliter constitutus Essentiae & Naturae Divinae.*

47. Sermo est de Prædicatis Absolutis, hoc est, quae omnibus Tribus Personis sunt communia. Huiusmodi autem Prædicata plura dantur in Deo, non quidem realiter, ad minimum tamen ratione nostra & per comparisonem ad similia prædicata, quae in Creaturis ab invicem separata reperiuntur, distincta. An alia major distinctio, virtualis nimirum intrinseca admittenda sit, sequenti controversia videbimus.

48. Cum itaque Essentia cuiusque rei, seu conceptus quidditativus, ex communi acceptione consistat in illo Prædicato, quod se habet per modum differentiae essentialis, per quod res, nostro concipiendi modo, primo differt ab alijs, & quod est prima radix aliorum prædicatorum, habentium se per modum attributi vel proprietatis, hinc praesens quaestio est, quodnam sit huiusmodi prædicatum in Deo.

49. Cardinalis Sforzia Pallavicinus primus p. n. 110. conceptum quidditativum & Metaphysicum Dei sic effert. *Ens quod continet æquivalenter omne Ens*. P. Martinus Esparza q. 5. a. 9. ad. 2. censet hunc conceptum esse minus idoneum quocunque alio. *Quia inquit, hic conceptus est comparativus DEI cum omni alio Ente, ideoque est posterior, quam quilibet alius conceptus comparativus cum quo libet ente, aut cum quolibet particulari Entium genere, seu determinate, seu vagè considerato: quandoquidem quodvis totum, & quævis collectio est posterior quibuslibet ejus Partibus: unde istiusmodi conceptus distat plus à conceptu essentiali DEI, quam quilibet alius proprius & distinctivus ipsius DEI.*

50. Hæc tamen impugnationi me non moveret. Verum quidem est, comparisonem particularem, quatenus est Pars comparisonis universalis, esse priorem, eâ prioritate, quâ quævis pars est prior toto: sed hinc non licet inferre, quod conceptus particulariter comparativus Dei, v. g. cum Angelis, esset conceptus quidditativus Dei, & distinctivus ab omni alio: distingueret enim solum ab illo, cum quo compararet: Ut ergo distingueret



stingeret ab omnibus, deberet comparare cum omnibus, & tunc primum haberetur adaequatus conceptus Dei Constitutivus & Distinctivus.

51. Ego ex alio capite recedo, & ostendo, nostro concipiendi modo, æquivalentiam non esse Prædicatum Primum Dei. Nam quando nos duo ad invicem comparamus, & inquirimus an Vnum ad alterum æquivalet necne quoad æstimationem perfectionis utriusque, inquirimus in aliquod Prædicatum Proprium, & formaliter conveniens vni, & non conveniens alteri; & illo cognito inferimus inde æquivalentiam vel excessum perfectionis: v. g. si inquiram, an homo æquivalet Angelo, investigo prædicatum nobilissimum hominis, & Angeli, v. g. *esse intellectivum cum dependentia à phantasmate*, & esse intellectivum independentem à phantasmate, & quia hoc secundum plures facio, quam illud primum, inde infero, hominem excedi ab Angelo, & Angelum æquivalere homini. Idem procedit in Deo cum Creaturis comparato. Illud ergo prædicatum quod formaliter convenit Deo, & æstimatur præ omnibus Prædicatis Creatis, & à quo moveor ad affirmandum, quod Deus æquivalet omnibus creaturis, & non e contra, illud inquam prædicatum est nostro concipiendi modo prius quam ipsa æquivalentia: nam æquivalentia importat duo correlativa, cuius una pars est illud prædicatum Deo proprium, & proprio nomine significabile: ergo in illo potius, quam in prædicato æquivalentiæ consistet Essentia Dei. Hac ergo sententiâ singulari sepositâ, duæ sunt opiniones celebres, quæ tamen, si mens authorum spectetur, nisi fallor, conciliari possunt.

52. Prima & satis celebris opinio est, Essentiam seu conceptum quidditativum Dei, esse prædicatum *Intellectionis Actualis*. Ita post Aureolum multi. Ad hanc sententiam reducimus illam, quæ distinguit in Deo actum primum intelligendi ab actu secundo, prout explicui in *Instit. Lib. I. tit. I. c. 4. à n. 86.* & hi constituunt in actu primo *Intellectivi* Essentiam Dei. *Vasq. Mol. Meracius, Gran. Arias, Comptonius d. 4. s. 6.* Secunda, non minus celebris est, Conceptum quidditativum Essentia Divinæ consistere in prædicato *Aseitatis*, hoc est, quod sit ens à se existens, seu sibi ipsi ad existendum sufficiens. *Dionysius Petav. Derken. Esparza cum pluribus alijs.*

53. Ut hæc duæ opiniones, quantum fieri potest, conciliantur, observandum est, hæc duo vocabula, illisque correspondentes conceptus, *Essentiam*, & *Naturam*, frequenter quidem ab auctoribus pro eodem sumi, si tamen accuratius loqui velimus, significare duos conceptus ex genere suo plane diversos. Differimen explicat Stephanus de *Bubalis post Conimbr. 2. phys. c. I. q. 1. & Suarez disp. 11. Met. q. 11. n. 4.* quod strictè loquendo *Essentia* importet ordinem ad esse rei cuius est: *Natura* ad operationem. *Natura* enim, inquit Suarez, dicta est, quasi aliquid nasci faciat. Itaque *Natura* cuiusque rei importat quidem totum, quod impor-

tat essentia; sed tamen importat adhuc aliquid amplius; nempe significat Principium operationis; cum tamen essentia ut sic & ex genere suo, abstrahat ab hoc, an sit Principium operationis. Hoc ipsum discrimen agnovit D. Thomas 1. p. q. 39. a. 2. ad 3. *Natura*, inquit, designat Principium actus, *Essentia* ab essendo dicitur. Hinc est, quod quævis res, sive sit substantia, sive accidens, dicatur habere suam essentiam, tamen, philosophicè loquendo, non sit *Natura*, hoc est Principium operationis. Si ergo in Deo potest assignari aliquod prædicatum primum, quod ex suo formali conceptu non dicat explicitum ordinem ad operationem, & nihilominus per tale prædicatum differat à cæteris omnibus, quæ non sunt Deus, in huiusmodi prædicato consistet essentia divina sub conceptu *Essentiæ*: cum quo tamen stabit, posse Deum sub conceptu *Naturæ* explicari per aliud prædicatum, quod dicat ordinem ad operationem, vel sit ipsa operatio, etiam si non sit radix omnium attributorum in Deo.

54. DICO 1. Conceptus quidditativus Dei in ratione essentia est, *esse ens à se*: quorum verborum sensus paulò post declarabitur. Probat 1. autoritate S. Scripturæ, exodi 3. Deus seipsum definiens dixit, *Ego sum, qui sum*: & *Qui est misit me*. Quæ verba S. Hieronymus in 3. cap. Epist. ad Eph. sic declarat, *Nunquid solus DEVS erat, & cætera non erant? utique Angeli, Cælum, Terra vel Maria, & ipse Moyses, cui Dominus loquebatur, & Israel, & Egyptij erant, & quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vendicat Deus? illa de causâ, quia cætera ut sint, DEVS I sumpsere beneficio: DEVS vero qui semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui origo est, suæque causâ substantia, non potest intelligi aliud habere quod subsistit.* Brevis, illa verba: *Ego sum qui sum*: ut non sint negatoria, hunc sensum habere debent, *Ego sum qui ex me ipso sum, & ideo non possum non esse*. Nam quidquid est, & posset non esse, ab alio sit necesse est.

55. Probat 2. ratione. In illo prædicato debet nostro concipiendi modo constitui essentia divina, ex quo jam aliunde cognito & affirmato, deducuntur cæteræ perfectiones divinæ. Sed tale prædicatum est; *esse ens ex se ipso existens*: ergo &c. Minor probatur. Nam postquam ex creaturis immediatè probatum est contra Atheum, dari ens improductum seu à se ipso existens, inde progredimur & inferimus immediatè, quod sit ens illimitatæ perfectionis: nihil enim limitatur à se ipso; ergo si ens à se careret aliquâ perfectione, hoc ipso talis perfectio esset Chymara, quia esset impossibilis, nam nec haberetur à se, nec haberi posset ab alio; ergo hoc ipso non esset perfectio. Hoc deducto deducuntur singulæ perfectiones in specie.

56. DICES. Sicut ex eo, quod Deus sit ens à se inferitur legitime: ergo est omnipotens; ita e contrario, dato quod aliquid sit omnipotens, inferitur legitime: ergo est à se, si enim esset ab alio,



alio, jam non posset facere omne factibile, quia non posset facere se, quod tamen etiam esset factibile. Ergo non est major ratio, quare *Aseitas* sit radix Omnipotentia, & non Omnipotentia *Aseitatis*. Respondeo. Hoc argumento potius ostenditur, quod *Tò esse Omnipotens* formalissimè & explicitè dicat: *esse ens a se*. Cum enim nihil possit facere seipsum, utique hoc ipso non est factibile illud, quod est factivum omnium. Planè, qui vellet subtiliter rem examinare, deprehenderet hoc ipsum in omni attributo divino, quia formaliter divinum est: sed non vacat in hoc immorari. Ad replicam in forma nego, vel distinguo antecedens: Omnipotentia infertur ex *Aseitate* quasi à Priori, hoc est tanquam ex prædicato prius probato & affirmato. *Aseitas* autem infertur ex Omnipotentia quasi à posteriori, & tanquam ex supposito, seu apprehenso tantum & nondum affirmato. Ratio jam est insinuata. Quia existentia *Entis à se* deducitur immediatè ex creaturis, & non nisi mediatè deducitur *Ens omnipotens*: nec enim possumus affirmare esse omnipotens, nisi affiramus esse *Ens à se*. quamdiu enim præscindimus aut ignoramus, an sit à se, vel ab alio, tamdiu præscindimus aut ignoramus, an possit facere omne factibile, quia nihil potest facere seipsum: ergo præscindendo, an ipsum sit aliquid productum; præscindendo etiam, an sit productum omnium producibilium.

57. Probatur Conclusio 3. Illud prædicatum est in Deo radix cæterorum, adeoque constitutum essentia divinæ, quod immediatè & formaliter opponitur illi prædicato, quod in creaturis est radix omnium imperfectionum: atqui in creaturis radix omnium imperfectionum & defectuum est, quod sunt *Ens ab alio dependens*: nam hæc dependentia formaliter dicit, quod ex se nihil sunt; hoc autem, quod est, ex se nihil esse, est radix omnium aliorum defectuum: ergo. Major probatur. Illud prædicatum est radix omnium perfectionum, quod est radicale exclusivum omnis imperfectionis: sed quod formaliter opponitur radici omnis defectus, est ejusmodi. Ergo &c. Declaratur magis. Idem est cujusque rei distinctivum & ejusdem constitutivum: ergo quod est primò distinctivum, est primò constitutivum: sed primò distinctivum Dei à creaturâ est, *esse à se*: ergo & primò constitutivum. Subsumptum probatur. Primò distinctivum creaturæ à Deo est: *esse dependens ab alio*. Nam ratio *Entis* per nihil aliud immediatè contrahitur ad *esse creatum*, quam per *esse ab alio*, ut ex se manifestum est: ergo primò distinctivum Dei à creatura est illud, per quod Deus formaliter non est ab alio: sed hoc est: *Esse à se*. Ergo &c.

58. Obijcitur 1. *Esse à se*, est prædicatum negativum: perinde enim est ac dicere: *Non esse ab alio*. atqui essentia Dei debet constitui in prædicato positivo: ergo non rectè constituitur in *Esse à se*. Respondeo negando majorem; quam esse falsam dupliciter ostendo. Imprimis ex absurdo. Si enim *Tò esse à se*, esset formaliter hoc

prædicatum negativum: *Non esse ab alio*; tunc hoc prædicatum esset inexplicabile sine processu in infinitum in negationibus, consequens omnibus negandum est. Sequelam ostendo. *Esse ab alio*: debet ultimò resolvi in aliquod *Ens improductum*, ut omnes fatentur contra Atheos. ergo *Tò non esse ab alio*; resolvendum erit in hoc: *Non esse ab alio improductum*: Sive: *non esse ab alio existente à se*. atqui per te *Tò esse à se* est prædicatum negativum, hoc modo exprimendum: *non esse ab alio*. ergo erit resolvendum hoc modo: *Non esse ab alio quod non sit ab alio non existente ab alio non existente ab alio, &c. sic in infinitum*. atqui hoc est absurdum: ergo fatendum est; *Tò esse à se* posse aliter concipi & exprimi, quam ut formalis negatio.

59. Deinde & secundò ostendo falsam esse majorem propositi objectionis. Nam potius *Tò esse ab alio* est prædicatum negativum. Nam *esse ab alio* formaliter est indigere alterius operâ ad existendum: omnis autem indigentia seu mendicitas est carentia proprii patrimonij sufficientis sibi; seu brevius; est carentia hujus perfectionis: Sibi ipsi sufficere: ergo *Tò Non esse ab alio*; est non indigere, seu non carere hac perfectione; atqui carentia est formaliter negatio illius formæ quâ quis dicitur carere: ergo *Tò non carere*, est formaliter negatio hujus negationis: atqui negatio negationis est forma positiva, opposita huic negationi: ergo à primo ad ultimum: *Non esse ab alio*, est forma positiva, opposita indigentia alterius tanquam negationi.

60. Respondetur itaque, *Tò Non esse ab alio*, esse solummodo prædicatum negativum secundum dici, hoc est, penes vocabula quibus effertur: sicut cum dicimus: non esse ægrum, non esse cæcum, non esse nihil. Dico itaque, *Tò esse à se*, metaphysicè loquendo, non esse exponendum hoc modo: *Non esse ab alio*: propter vitiosum processum in infinitum: sed hoc modo. *Esse ens essentialiter existens quocunque alio sublato*. Vbi vides, quod negatio aliorum non ponatur tanquam constitutiva illius entis à se, sed solum tanquam conjungibilis per hypothesein cum illa entitate. Eodem modo exponendum est *Tò sibi sufficere*: hoc enim aliud non est, quam: quocunque alio sublato, seu, non obstante cujuscunque alterius entis absentia, adhuc habere unde sit. Vel si denique magis Theologicè resolvere velis, dicere poteris: *Ens à se*, est, à cujus existentis voluntate pender, ut quodvis aliud sit vel non sit.

61. Et fanè, nisi communi Theologorum phrasi me accommodare voluissèm, essentiam Dei non per *Aseitatem*, sed modis jam relatis expressissem. Nam SS. PP. nunquam fortassis illo vocabulo usi sunt, & negari non potest, illud non esse satis accommodatum, quatenus *Tò esse à se*, videtur idem dicere, ac, *Dare sibi ipsi esse*, sicut S. Hieronymus dixit, Deum esse sibi ipsi causam essendi; quod utique improprie dictum est. Econtra pro meo loquendi modo adduci possunt plures SS. PP. apud Dionysium Petavium, Lib. 1. cap. 6. à n. 6. breviter unum alterumve referam. Clemens Ale-

xandrinus



xandrinus nomen, *Qui est*, Exodi. 3. à Deo si-  
bi impositum, idcirco ait Deo maxime proprium  
esse, quoniam illum exprimit, qui revera solus est  
hoc est, qui est, sive alia sint, sive non sint. Gre-  
gorius Nanzianzenus Essentiam Dei explicat per  
hoc, quod habeat esse per se, hoc est, non cum alio  
hoc, quod habet esse per se, hoc est, non cum alio  
quopiam copulatum. S. Bernardus explicat es-  
sentiam Dei per hoc, quod ita necessarium sit, ut  
etiam si nullum aliud ens addas, nihil de esse Dei  
eminuas. Plures PP. explicant, unde Deo pro-  
prium sit esse, cetera verò dicantur non simplici-  
ter, sed quodammodo esse, nempe quia cetera non  
possunt esse sine Deo, sed habent esse à Deo. er-  
go per argumentum à contrario Deus ideo dicitur  
simpliciter esse, quia sine cujuscunque consortio  
adhuc intelligitur esse.

62. DICES. Etiam si Deus per impossi-  
bile esset agens necessarium, & necessarium aliquid  
ad extra produceret ab aeterno, adhuc ipse esset  
Ens à se, & improductum, & tamen non esset ens  
potens intelligi existens quocunque alio sublato.  
Si tibi licitum est facere huiusmodi hypothe-  
sin impossibilem, ego tibi per aliam hypothefin  
impossibilem respondeo, & dico, quod ille effectus  
(quem tu fingis esse necessarium) per fictionem  
auterri posset, quo sic ablato adhuc intelligeretur  
formaliter Deus. Verum, non est necesse huc  
venire. Sufficit mihi quod tunc intelligeretur  
pro priori naturæ causâ, præciso effectu. Illud  
ergo erit Deus, quod, præciso quocunque alio,  
intelligitur existere.

63. Obijcit Card. Pallav. 2. Existere per  
necessitatem, non est illud perfectissimum ænig-  
ma, per quod Deus appareat melior omnibus alijs  
entibus, adeoque non est prædicatum ex quo evi-  
denter inferamus alias Dei perfectiones, cum Phi-  
losophi distinxerint necessarium causatum, & necessa-  
rium incausatum. Ad hanc objectionem jam est  
respondum; Etiam si enim daretur aliquod ens ne-  
cessarium causatum, illius tamen necessitas essendi  
proveniret originaliter ab alio, tanquam à causâ,  
& per consequens, nec daretur nec intelligeretur  
existere quocunque alio præciso, aut per fictionem  
ablato.

64. Obijcit 3. Si Essentia Dei consi-  
deretur in Aseitate, tunc omnia cetera prædicata  
essent attributa, adeoque etiam prædicatum *Substan-  
tia*, *Vivens*, quod videtur absurdum. Respondet  
P. Esparza & sufficienter quidem, quantum necesse  
est in questione de vocabulo *Attributi*, posse hæc  
etiam sine absurdo dici Attributa, quatenus scili-  
cet nostro concipiendi modo attribuuntur alteri  
tanquam priori unde deducuntur. Caterum in  
communiori usurpatione illa solum vocantur at-  
tributa, quæ significantur instar concreti acciden-  
talis, & tribuentis aliquam denominationem sup-  
posito, adeoque adjectivè, ut esse justum, sapien-  
tem, potentem, &c. hæc enim significant prædicata  
realiter substantialia instar formæ accidentalis crea-  
tæ, qualis est sapientia, vbiatio, potentia, justitia.

65. Respondeo tamen aliter, negando fe-  
quelam. Et imprimi, nego (quod P. Esparza  
videtur concedere) quod prædicatum *Substantia*  
deducatur tanquam diversus formaliter conceptus  
ex Aseitate. Ens enim à se, & præciso quocunque  
alio essentialiter existens, est formalissimè substan-  
tia, quia formalissimè existit per se, & non in alio.  
Hinc infero, quod nec conceptus *Vivens*, nec con-  
ceptus *Intellectivus*, sint conceptus attributorum,  
quia licet hæc prædicata ex aseitate deducantur, po-  
nuntur tamen formaliter in lineâ prædicamentali  
*Substantia*: talia autem non dicuntur attributa, sed  
illa quæ proferuntur sub conceptu formarum acci-  
dentalium, pertinentium ad alia prædicamenta, si  
comparentur cum formis similibus creatis: ut esse  
sapientem, justum, æternum, immensum, &c.  
Omitto leviores Objectiones, ab alijs optimè  
dissolutas.

66. DICO. 2. Conceptus quidditativus Dei  
in ratione NATURÆ, rectè constituitur per or-  
dinem ad nobilissimam & primam Dei operatio-  
nem, scilicet Intellectionem, adeoque in *Essè à se  
Intellectivo*. & hoc tribuo primæ sententiæ supe-  
rius relatæ, & SS. PP. qui pro illâ apud Suarez &  
Viquez adducuntur.

Probatur Conclusio. Nomen *DEVS*, est  
nomen *Naturæ*, prout in terminis tradit D. Tho-  
mas, q. 13. a. 11. ad 1. dicens, nomen *DEVS*, esse  
magis proprium Dei ad significandam *Naturam*,  
nomen verò *Qui est*, esse magis proprium ad signi-  
ficandam *essentiam*. Subsumo: atqui nomen *Devs*  
in Græco descendit ab *Intueri* vel *Prospicere*,  
teste sancto Dionysio, Damasceno, Clemen-  
te, & alijs apud Franciscum de Lugo p. i. n. 25. er-  
go in Sensu S. Thomæ Natura divina rectè expli-  
catur per ordinem ad intellectionem. Intellectio  
certè est prima operatio, & origo decretorum di-  
vinorum, immò & Processionum ad intrâ, quate-  
nus Verbum procedit per Intellectionem, Spi-  
ritus S. verò per Amorem, qui præsupponit Intel-  
lectionem.

Confirmatur iterum Autoritate S. Thomæ.  
qui q. 27. a. 2. in C. declarans cur Processio Verbi sit  
generatio, dat rationem, quia in Deo idem est *In-  
telligere*, & *esse*, & ideo Verbum procedit in simili-  
tudinem *Naturæ*, (quod est generari) quia proce-  
dit per modum intelligibilis actionis, hoc est, per  
Intellectum. Neque invenio, quod cum aliqua  
difficultate notabili possit opponi.

#### CONTROVERSIA IV.

*Utrum inter Prædicata divina detur di-  
stinctio virtualis intrinseca, media in-  
ter distinctionem realem, & rationis.*

Non est animus, hoc loco discutere distinctio-  
nem quæ vocari solet Scotistica; cum enim il-  
la non reperiatur, vel (ut rectius dicam) à suis au-  
thoribus nõ tribuatur specialiter Attributis divinis,  
sed gradibus metaphysicis univèrsim, hinc est, quod  
Philoso-



Philosophi omnes eam ad suum examen & tribunal vocent. Statui autem à quaestionibus philosophicis abstinere, paucis fortassis exceptis, quæ tamen philosophicæ sint, à philosophis tamen communiter prætermittuntur.

## §. I.

*Quid intelligatur nomine Distinctionis virtualis intrinsecæ: ubi an in DEO admittenda sint prædicata contradictoria de Naturâ & Personalitatibus.*

67. Distinctio Virtualis intrinsecæ, de quâ deinceps disputabimus, definitur à multis, quod sit *Unius indivisibilis Entitatis æquivalentia seu capacitas prædicatorum contradictoriorum*. & quia omnes admittentes hanc distinctionem in DEO, ad minimum eam admittunt inter essentiam & Relationes divinas, & nos infra dicemus, inter has esse omnino admittendam, ideo pro intelligentia eorum quæ dicturi sumus, utemur nunc exemplo vtitato, v. g. quia nemine cogitante Paternitas non communicatur Filio, Natura divina communicatur: Paternitas autem est realiter Natura divina, & Tò communicari, & non communicari, sunt prædicata contradictoria, ideo capacitas horum contradictoriorum quæ est in Entitate Patris, consistit in aliqua distinctione inter Naturam & Paternitatem: hæc distinctio non est realis: neque merè rationis ratiocinata, ergo erit distinctio virtualis intrinsecæ.

68. Porro licet hi AA. admittant, de eadem reali entitate verificari prædicata contradictoria, jam assignata, negant tamen verificari propositiones contradictorias; quia quod affirmatur de una formalitate, seu virtualitatis membro, non negatur de eadem formalitate, sed de altera, adeoque non sunt contradictoriæ propositiones. Hæc doctrina mihi aliquando placuit, nunc autem displicet in vno puncto.

69. DICO ergo: Sicut non verificantur propositiones contradictoriæ, ita non est admittendum, verificari prædicata contradictoria de eadem entitate, si rectè loqui velimus. Declaratur. Quid est verificari prædicata contradictoria de eadem entitate? est, verificari affirmationem & negationem ejusdem de eodem. atqui hoc formalissimè est verificari propositiones contradictorias. Ergo.

DICES. Deberent verificari de eadem formalitate, ut essent propositiones contradictoriæ. Contra: ergo pari modo, ut dicerentur prædicata contradictoria verificari de eodem, deberent verificari de eadem formalitate, alioquin non verificantur contradictoria de eodem. Præcludetur hoc effugium melius infra.

70. DICES iterum. Numquid communicari, & non communicari sunt contradictoria? & vnum convenit Naturæ, alterum Paternitati? vel melius: Tò communicari affirmatur de Natura, & negatur de Paternitate? quomodo ergo non veri-

ficantur contradictoria? Respondeo. Communicari aliquo modo, hoc est, secundum formalitatem Naturæ, & non communicari alio modo, hoc est, secundum formalitatem Paternitatis, non sunt contradictoria prædicata; sed hæc sunt prædicata contradictoria: Communicari aliquo modo, & nullo modo communicari, hæc autem non verificantur de eadem Entitate. Sicut ergo Natura divina communicatur Filio in ratione Naturæ, & secundum esse absolutum, ita Paternitas in ratione Naturæ & secundum esse absolutum communicatur Filio; & sicut Paternitas in ratione Paternitatis & secundum esse Relativum non communicatur Filio, ita etiam Natura divina in ratione Paternitatis & secundum esse Relativum non communicatur Filio. Vno verbo: Legitimus sensus hujus propositionis: *Natura communicatur*; hic est: *Natura communicatur in ratione Naturæ*: & hujus: *Paternitas non communicatur*; est iste: *Paternitas non communicatur in ratione Paternitatis*. Vnde patet, prædicata non esse contradictoria: communicari enim in ratione Naturæ, & non communicari in ratione Paternitatis, non sunt contradictoria: sed; communicari in ratione Naturæ, & non communicari in ratione Naturæ: atqui prius convenit tam Naturæ quam Paternitati: posterius neutri convenit: ergo non conveniunt illis prædicata contradictoria, si prædicata ponantur, prout ponenda sunt. Earundem propositionum aliam expositionem paulò post dabimus, ostendendo, contradictoria non cadere supra identificata, sed supra realiter distincta. Quod autem simpliciter & sine addito dicatur: *Natura communicatur, Paternitas non communicatur*, inde provenit, quod vna formalitas ab altera præcindatur, & sic concipientes Naturam præcisâ Paternitate nihil habemus ex parte objecti, ratione cuius possit natura dici non communicari, & econtra concipientes Paternitatem præcisâ Naturâ nihil habemus, ratione cuius dicatur Paternitas communicari.

71. Doctrinam hanc in re ipsa invenio apud Franciscum Veckenium, tr. 1. de Simpliciter, DEI disp. 4. c. 5. ubi docet, illa prædicata si rectè ponantur, non esse contradictoria: non enim debent quasi in abstracto poni, sed hoc modo. *Natura divina est Natura communis. Paternitas non est Paternitas communis.* hoc autem sensu (inquit) non verificantur contradictoria; nam sicut rectè dicitur: *Natura divina est Natura communis*, ita etiam verè dicitur: *Paternitas est Natura communis*. & sicut Paternitas non est Paternitas communis, ita etiâ Natura Divina non est Paternitas communis. Ecce: quâ ratione velit hic Author, quod quidquid affirmatur vel negatur de Natura, etiam possit affirmari aut negari de Paternitate. Eadem mens est Fasoli & aliorum, quos P. Esparza existimat confundere prædicata contradictoria cum propositionibus contradictorijs. Sed ego non credo, illos tam ignavos Logicæ fuisse, ut nescirent, prædicata contradictoria convenire diversis, propositiones contradictorias debere habere idem subiectum & prædicatum. Mens illorum est, prædicata contradictoria non posse



posse convenire eidem indivisibili subjecto, quin hoc ipso evadant propositiones contradictoriae. Quia distinctio virtualis non tollit identitatem & indivisibilitatem realem, subjecti. Et sanè ipse P. Elparza dicit, prædicata contradictoria in casu nostro esse *Affirmationem & Negationem*. Subsumo. atqui affirmatio est formalissimè propositio affirmativa, & Negatio est formalissimè propositio negativa. ergo si affirmatio & negatio sunt prædicata contradictoria, hoc ipso sunt propositiones contradictoriae: quia negatio non potest aliter esse contradictoria affirmationis, nisi in ratione Enuntiationis.

72. Argumentor ulterius hoc modo. Si in his duabus Propositionibus: *Natura divina est communicabilis; Paternitas non est communicabilis*, continetur aliqua contradictorietas, illa non est in prædicatis, sed est in propositionibus: atqui per te in propositionibus esse non potest, ne dicatur Deus esse Chymara, ergo nulla in illis est contradictorietas. Major probatur. In illis duabus propositionibus idem prorsus est prædicatum utriusque: (est enim una affirmativa, altera negativa) nempe *Tò Communicabilis*. sed nullum prædicatum potest esse contradictorium sui. ergo in illis propositionibus non sunt prædicata contradictoria: ergo si ibi est contradictio, erit contradictio propositionum; quod cum tu neges, negare debes omnem contradictionem, prout ego contendo.

73. Argumentor denique hoc modo, & est argumentum mihi quidem insolubile. Si verum est, aliquod prædicatum affirmari posse de Natura divina, quod nullo prorsus modo affirmari possit de Relationibus (ut volunt contra quos disputo) tunc evidenter sequitur, dari distinctionem virtutalem inter prædicata absoluta, & quidem cum processu in infinitum. atqui inter prædicata absoluta non datur distinctio virtualis, ut infra docebitur, multo minùs processu in infinitum, quem nemo admittit. ergo quicquid affirmari potest de Naturâ, debet etiam posse affirmari de Relationibus. Majorem probo, & accipio prædicatum *Communicabilis*: quod utique est prædicatum absolutum, vel quomodocunque illud vocare velis, est prædicatum virtualiter indistinctum à Natura divina, ab Omnipotentia, Sapientia &c. Probo jam sequelam majoris. Si *Tò esse communicabile* nullo modo potest affirmari de Relatione Paternitatis aut Filiationis, tunc de Natura divina, & de Communicabilitate ejusdem verificabuntur contradictoria: ergo distinguuntur virtualiter. Probo antecedens. De Natura divina, Omnipotentia, &c. verificatur; communicari Relationibus: de Communicabilitate verificabitur: *Non communicari*. Si enim Communicabilitas communicatur Paternitati & Filiationi, sicut communicatur Omnipotentia, tunc non minùs posset Paternitas & Filatio dici communicabilis, quàm potest dici omnipotens: atqui tu negas posse sic dici: ergo jam admittis verificari contradictoria de Omnipotentia, & Communicabilitate Naturæ.

74. Brevius & clariùs hoc modo. Natura

divina est virtualiter indistincta à seipsa. ergo hoc prædicatum: *esse virtualiter indistinctum à Natura*: est prædicatum absolutum. Probo hoc prædicatum per te virtualiter distinguì à Natura divina. De Natura divina, & virtuali indistinctione ejusdem à se, verificantur per te contradictoria non minùs quàm de Natura & Paternitate: ergo non minùs distinguuntur virtualiter. Antecedens probo, ponendo ipsa contradictoria. Natura divina est affirmabilis de Paternitate. Virtualis indistinctio à Natura non est affirmabilis de Paternitate: *esse affirmabile & non esse affirmabile de Paternitate* sunt contradictoria, non minùs quàm *communicari & non communicari*: ergo de Natura divina & virtuali indistinctione à natura verificantur contradictoria non minùs quàm de Natura & Paternitate.

75. Hoc argumentum dico solvi non posse, nisi concedamus, quòd quicquid affirmatur de Natura, possit etiam affirmari de Paternitate & e contra, modo superius explicato. unde consequens est, quòd sicut Natura in ratione Naturæ affirmabilis est de Paternitate, ita etiam virtualis indistinctio Naturæ à Natura sit affirmabilis de Paternitate eo modo quo dictum est. Censeo itaque contradictoria non verificari nisi de Relationibus realiter distinctis: quando autem applicantur formalitatibus identificatis, *Naturæ & Paternitati*, Natura non accipitur ut est Paternitas præcisè, sed ut est Filiatio realiter distincta, & ut sic terminat contradictorium. v. g. cum dicitur: *Natura communicatur Filio, non Paternitas*: resolvendum est hoc modo. *Filiatio est acceptio Naturæ, Paternitas non est acceptio Naturæ*, Vel: *Filius habens eandem Naturam cum Patre, producitur, Pater non producitur*: quæ contradictoria non cadunt supra Naturam & Paternitatem, sed supra Paternitatem & Filiationem. Deinceps ergo, quando in modo loquendi me alijs accommodavero, hoc & non alio sensu intelligi volo; & est sensus conformis doctrinæ D. Thomæ in 1. distin. 7. a. 2. in Corp. prout infra referam & ponderabo tract: de SS. Trin. cap. 2. Contr. 7.

Quæret aliquis, utrum saltem præcisio objectiva inter Naturam divinam & Personalitates admittenda sit? Ratio dubitandi est: quia si hæc non admittatur, non erit inter Naturam & Personalitates major distinctio, quàm rationis ratiocinata, & qualis est inter Gradus Metaphysicos, & inter Intellectum & voluntatem identificatas cum anima: consequens non est dicendum, nam in his non datur distinctio virtualis intrinseca, qualis tamen inter Naturam & Personalitates etiam à me admittetur §. sequente.

Confirmatur paritas. Nam sicut per me dicendum est: *Natura communicatur in ratione Naturæ, & non communicatur in ratione Paternitatis*: ita dicimus: Intellectus intelligit in ratione *Intellectus*, & non in ratione *Voluntatis*. Ergo sicut hæc reductiones non fundantur in distinctione virtuali intrinsecâ,



intrinseca, sed sufficienter explicantur per diversos concipiendi modos, ita pariter de Natura & Personalitatibus dicendum esset.

Respondeo ad quaesitum, me non admittere praecisionem objectivam inter Naturam & Personalitates, quam etiam negat P. Oviedo. Ratio est: quia tam parum possunt de eadem entitate verificari contradictoria extrinseca, quam parum intrinseca: atqui praecisio objectiva verificaret contradictoria extrinseca: ergo pariter est neganda. Certe P. Oviedo admittit verificari contradictoria intrinseca, & negat verificari extrinseca, quanto magis neganda sunt, negatis contradictorijs intrinsecis?

Ad rationem dubitandi respondeo, negando paritatem. Disparitas est, quia distinctio virtualis intrinseca aliud re ipsa non est (vt dicam) quam realis distinctio duorum identificatorum cum Tertio, à quo propterea dicuntur virtualiter distingui: seu: est realis distinctio duarum formalitatum in tertio. qualem distinctionem non habent gradus metaphysici, nec intellectus & voluntas.

Ex hac ergo reali distinctione in Tertio, seu ex reali identitate realiter distinctorum cum Tertio, provenit, quod nemine cogitante detur verificativum tam affirmationis quam negationis, modo jam superius explicato; hoc autem non reperitur in Intellectu & Voluntate. Formemus ipsas propositiones, & apparebit discrimen. Hae propositiones sunt verae: *Hac entitas indivisibilis (intelligo Naturam divinam identificatam Paternitati) communicat se Filiationi, vt Filiatio sit Natura divina; Hac eadem entitas non communicat se Filiationi, ut Filiatio sit Paternitas, sicut Natura est.* Huiusmodi propositiones non possunt verificari de Intellectu & voluntate identificatis cum anima. Nam licet hac propositio vera sit: *Hac entitas indivisibilis (intelligo Animam identificatam cum intellectu) communicat se voluntati, vt sit Anima.* Falsa tamen est hac altera: *Hac eadem indivisibilis Entitas non communicat se voluntati vt voluntas sit intellectus, sicut anima est.*

Fatendum igitur est, quod aliud sit fundamentum, & quidem intrinsecum prioris distinctionis formalis & rationis ratiocinata; quam posterioris, quod est merè extrinsecum, nempe realis distinctio aliorum cum quibus Intellectus & voluntas comparatur. Hae omnia magis declarabuntur §. sequente. & in Tract. de SS. Trinitate.

76. Ex dictis posset hac vel similis definitio Virtualis Distinctionis confici. Est duorum praedicatorum identificatorum, seu duarum formalitatum habitudo ad tertium, cum iisdem formalitatibus in ratione vnius formalitatis identificatum, & ab iisdem in ratione alterius formalitatis realiter distinctum. Vel: est vnius cum altero realiter distincto secundum formalitates diversas convenientia & discrepantia. Vel, Est duarum formalitatum identificatarum quā talium discrepantia in tertio, sub vnā ratione secum identificato, & sub

alia distincto. Vel denique cum P. Esparza. Est identitas realis conjuncta cum discrepantia intrinseca identificatorum quoad aliquod praedicatum.

## §. II.

*Vtrum detur Distinctio Virtualis inter Essentiam divinam & Relationes.*

P. Franciscus Veckenius, cum ostendere conatus esset (vt supra retulimus) non esse admittendum, verificari praedicata contradictoria de Natura & Relationibus, existimavit, hoc ipso non esse necessarium, admittere maiorem inter illa praedicata distinctionem, quam rationis ratiocinatae. A Veckenio non videtur dissentire Granadus. Contra quos

77. DICO. Quomocunque explicentur propositiones, ne evadant contradictoriae, non potest salvo Trinitatis Mysterio negari, inter Naturam & Relationes dari maiorem distinctionem, quam rationis ratiocinatae, qualis invenitur in gradibus Metaphysicis. quae cum non sit realis, erit media, & recte vocabitur Distinctio Virtualis. Hae est communis, & probatur, praecindendo an de Natura & Personalitate verificentur contradictoria praedicata. Probatur autem hoc modo. Natura divina & Paternitas discrepant in Tertio, nempe in Filiatione, cum quā Natura per sui communicationem identificatur, Paternitas verò realiter ab eadem distinguitur, quae sunt propositiones de fide, quomocunque explicentur. Porro huiusmodi discrepantia non reperitur in Gradibus Metaphysicis, vt per se manifestum est; cum nullo enim Tertio identificatur Animalitas quae est in Petro, à quo realiter distinguatur Ratiocinalitas eiusdem. Ergo maior est distinctio inter Naturam divinam & Personalitates, quam sit inter Animalitatem & Rationalitatem Petri. Sed non est realis: ergo est media inter distinctionem realem & rationis, qualis reperitur in gradibus metaphysicis, quae ad discretionem à duabus illis recte vocabitur Virtualis, hoc est, æquivalenter realis, in ordine ad verificanda praedicata, quae in creaturis semper supponunt in subiecto distinctionem realem.

78. Contra Veckenium etiam facile probatur Conclusio, insistendo illi ipsi modo loquendi, quo Veckenius vult illas propositiones esse formandas. Argumentor hoc modo. In sensu reali, sicut est verum dicere: *Rationalitas est Rationalitas assumpta à VERBO*, ita etiam est verum dicere: *Animalitas est animalitas assumpta à VERBO*. & non est necesse dicere: *Animalitas est rationalitas assumpta à VERBO*. atqui, vt tu vis, non possum dicere: *Paternitas est Paternitas communis tribus*: sicut possum dicere: *Natura est natura communis tribus*: sed dicendum est: *Paternitas est Natura communis tribus*: ergo jam concedis maiore distinctione intrinsecā Naturae & Paternitatis, quam Animalitatis & Rationalitatis.

79. Confirmatur. Si in sensu reali vera essent haec duae propositiones: *Rationalitas est Rationalitas*



*rationalitas assumpta: Animalitas non est animalitas assumpta: ipse Veckenius fateretur, inde rectè inferri distinctionem realem inter animalitatem & Rationalitatem (neque enim hic Author admittit Præcisiones objectivas) atqui Natura est Natura communis, Paternitas non est Paternitas communis, ut tu ipse loqueris: ergo, cum ex his propositionibus non liceat inferre distinctionem realem inter Naturam & Paternitatem, inferretur tamen æquivalentia distinctionis realis, quæ erit distinctio virtualis.*

Ratio vniuersalis est, quia per distinctionem virtualem aliud non intelligimus, quàm tantam Eminentiā & Perfectionem alicujus Entitatis, ut licet sit realiter indivisibilis, sit tamen simul & ratio identitatis cum tertio, & ratio realis distinctionis ab eodem. Quatenus est ratio identitatis, vocamus illam *Naturam*, quatenus est ratio distinctionis, vocamus eam *Paternitatem*, vel *Relationem*, & sic quando deinde hos Terminos ponimus pro subiecto propositionum, & de vno affirmamus, quod de altero negamus, intervenit quidem distinctio Rationis ratiocinata, sed cum fundamento intrinseco, quod aliud non est, quàm identitas duorum realiter distinctorum cum tertio communi. quale fundamentum in creaturis non habemus, sed solam comparabilitatem ad diversa connotata realiter & inter se, & ab illo tertio distincta.

80. Objectiones, quæ fieri possent, vel jam sunt in cursu solutæ, vel non tam impugnant distinctionem virtualem, quàm Mysterium Trinitatis, vnde ad virtualem distinctionem facili negotio transferuntur. Non possè ea clarè dissolvere, est inculpabilis ignorantia. Negare distinctionem virtualem, quàm evidens ratio, ex suppositione Mysterij convincit, est Obstinatio.

## §. III.

*An deus distinctio Virtualis intrinseca inter Intellectum & Voluntatem divinam.*

Affirmant Valentia, Molina, Hericæ, Zuniga, Tanner, Arrubal, Fasolus, vterque, Lugo, Hurt, Arriaga, Oviedo, Aldrete. Contra quos

81. DICO, rectius ab alijs negari. Probat ex dictis. Illa solùm possunt distingui distinctione majore quàm rationis ratiocinata, quæ ita se habent ad tertium prædicatum, ut vna formalitas sit ratio identitatis, & altera ratio distinctionis realis ab eodem: sed Intellectus & Voluntas divina ad nullum prædicatum ita se habent: Ergo &c. Probat minor. Cum quocunque identificatur Intellectus essentialis Dei, cum eodem identificatur Voluntas essentialis Dei, & nihil est in Deo, cum quo non utraque formalitas identificetur, & sit ratio identitatis cum illo: ergo neutra formalitas est ratio distinctionis realis respectu vllius tertij prædicati.

82. Confirmatur ad hominem. Adversarij fundant se in hoc, quod existiment, de Intellectu

verificari hoc prædicatum: *Communicari primario VERBO*, & hoc ipsum prædicatum de Voluntate negari. Quod falsum esse ostendo. Si hoc prædicatum: *communicari Verbo primario*, non convenit realiter Voluntati, ergo realiter distinguitur ab illa: ergo realiter identificatur cum aliquo realiter distincto à Voluntate: atqui nihil tale potest assignari: deberet enim esse vel Intellectus, vel Filiatio, sed neutrum horum distinguitur realiter à Voluntate: ergo voluntati non minùs quàm Intellectui convenit: communicari primario. Ad hæc pauca reducenda sunt omnia, quæ nimis prolixè, & operosè coarctat P. de Quiros.

83. Obijciunt Adversarij 1. De Intellectu divino verificatur realiter & nemine cogitante, quod non verificatur de Voluntate. Nam de Intellectu verificatur, quod per illud Verbum procedat, & non per voluntatem; contra Spiritus S. procedit per Voluntatem, & non per Intellectum. ergo inest eadem ratio distinctionis Virtualis, quæ inest Naturæ divinæ respectu Paternitatis. Antecedens probant primò ex eo, quod Verbum dicatur Sapientia Patris, Spiritus S. verò Amor Patris, & Filij. Verba Concilij Toletani, 11. in Confessione fidei, sunt hæc. *Non est credendum, quod Pater Voluntate Filium genuerit.* S. Augustinus lib. 65. qq. ad Orosium q. 7. *Pater, inquit, Voluntate non genuit Filium, quia præire Voluntas Sapientiam, (id est Verbum) non potuit.* Concilium Smirnense can. 25. *Si quis consilio (id est Voluntate) DEI factum Filium DEI asserit, Anathema sit.*

84. Hæc obiectio fundat se in Locutionibus Conciliorum & Patrum, quibus æquè claræ si non clariore opponi possunt. Concilium Sardicense in fine Confessionis fidei anathemate ferit hanc propositionem: *Pater nec consilio nec voluntate genuit Filium.* Concilium Toletanum XV. in Confessione fidei: *Secundum Essentiam inquit, Voluntas genuit Voluntatem, Filius est Voluntas ex voluntate.* Eandem Voluntatis præcedentiam plures Patres conceptis verbis affirmant.

S. Hilarius lib. 3. de Trin. *Vnigenitum procreavit omne quod DEVS est, per Charitatem atque Virtutem Nativitati ejus impertiens.* Et alibi lib. de Synodis prope med. *Nativitatis adeo perfecta Natura est, ut qui ex substantia DEI natus, etiam ex consilio ejus ac voluntate nascatur.*

S. Jacobus apud Clem. Rom. lib. 8. Const. c. 12. *Ipsam, inquit, ante omnia secula generasti, Voluntate, Potentiā & bonitate, sine vlllo medio, Filium Vnigenitum. quæ verba repetit c. 16.*

Cyrillus Alexandrinus lib. 2. thesauri c. 1. *Quia & omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex DEO nascitur Filius.*

S. Augustinus lib. 83. Quest. 50. *Si voluit & non potuit, infirmus est, si potuit & non voluit, invidus est, ex quo conficitur, æqualem genuisse Filium.*

85. Pro explicatione eorum quæ adversarij adduxerunt, advertendum est 1. illa Testimonia fuisse prolata contra Arrianos, qui contendebant, Filium non esse DEVM genitum à Patre, & illi consubstan-



substantialem. Si enim, inquiebant, est à Patre genitus, utique non à nolente: non enim potuit Pater à quoquam cogi, cum non habeat fortio-rem, ergo à volente: ergo poterat nolle, sicut poterat nolle alia: ergo Filius est aliquid contingens, & consequenter non est Deus. Ex quo argum-mento evidenter constat, Arrianos plus non probasse, quam Filium non procedere à voluntate Dei liberè, nec etiam coactè: sed nullo modo probabant, non procedere ex necessariâ quadam complacentiâ circa ipsam generationem. Con- cilia ergo & Patres, ut se declararent, concesserunt id quod Arrianorum argumentum probabat, ne vi- derentur contrarium sentire, dum se Arrianos op- ponebant. Sicut si Concilium anathema diceret asserentibus, sanctos esse colendos cultu latræ, hoc ideo faceret, ut ostenderet, se non approbare talem cultum sanctorum, qualem nobis tribuunt hæretici.

86. Observandum. 1. Theologos distinguere inter Intellectum Essentialem seu absolutum, & in- tellectum Notionalem seu Relativum. Prior est omnibus tribus Personis communis, & est ipsa Es- sentia seu Natura divina: secundus est Personalitas Patris, seu Paternitas; eodem modo distin- guunt Voluntatem in Absolutam omnibus Per- sonis communem, & in Notionalem seu Relati- vam, quæ vocatur Spiratio activa, realiter distin- cta à Spiritu Sancto, seu Spirazione passivâ, & Patri Filioque communis.

87. Dicitur ergo Verbum procedere ab In- tellectu Notionali, non item Spiritus Sanctus; & econtra Spiritus S. procedere à Voluntate No- tionali, non item Verbum. Vnde infertur, Vo- luntatem essentialem & Notionalem inter se vir- tualiter distinguere, sicut & Intellectum Essentialem & Notionalem, non verò Intellectum Essentia- lem & Voluntatem essentialem.

88. Porro ex hac reali processione præbetur nostro intellectui fundamentum, ut ratione nostrâ distinguamus Intellectum & Voluntatem, & secun- dum hunc concipiendi modum dixerunt Patres, Verbum procedere per Intellectum, Spiritum San- ctum per Voluntatem; qui loquendi modus erat accommodatus ad explicandum populo diversita- tem harum Personarum in ratione Sapientiæ & A- moris, & sic patet responsio ad primam obje- ctionem.

89. Obijciunt 2. Nisi dicamus, Intel- lectum & Voluntatem virtualiter intrinsecè distin- gui, non potest vlla commoda ratio reddi illius ar- ticuli Fidei, quare Verbum generetur, Spiritus S. non generetur: quæ tamen facillè redditur admissâ distinctione virtuali. sic enim dici poterit Verbum generari, quia primariò accipit Intellectum, qui est Natura; & sic ex vi processionis assimilatur Natu- ræ. Respondeo primò. Cum argumentum pro nostrâ Sententiâ sit planè convincens, tolerabilius esset, fateri ignorantiam in reddendâ ratione illius articuli, quam admittere distinctionem virtualem inter prædicata absolutâ; sequeremur enim exem- plum S. Ambrosij lib. 1. de Fide ad Gratian. c. 1. sic loquentis. *Mihi impossibile est Generationis hujus scire secretum; vox silet, mens deficit, non tantum mea, sed etiam Angelorum, supra potestatem, supra Angelos, supra omnem sensum est.* Item imitaremur S. Augu- stinum lib. 5. con. Maximin. c. 14. De Patre, inquit, est Filius, de Patre est Spiritus S. sed ille genitus, iste pro- cedens; quid autem inter Procedere & Nasci intersit, de illâ excellentissimâ Naturâ loquens explicare quis po- test? distinguere inter illam Generationem, & hanc Processionem nescio, non sufficio. 2. Illius articu- li rationem aliam querendam esse infra, suo loco, ubi non vnam, sed plures dabimus.

## CAPUT II. DE VISIONE DEI, EJUSQUE PRIN- CIPIO, LUMINE GLORIÆ.

### CONTROVERSIA I.

*Utrum sit possibilis Substantia creata, cui sit connaturalis Visio DEI.*

S. PRIMVS.

*Rationes pro negativâ minus efficaces.*

90. **D**icendum est, non esse possibile sub- stantiam seu Naturam creatam, cui connaturaliter debeat Visio intuitiva Dei. Est ita in scholis recepta sententia, ut non pauci ob solam auctoritatem ei subscribant, rationibus, quibus ante hac, vltra S. Scripturæ auctoritatem, fulciebatur, planè diffusi. Quæ fortassis causâ fuit, ut Recentiores in novis

rationibus in veniendis solertes fuerint. Refe- ram, quia sunt ingeniosæ, licet minus efficaces. P. Antonius Perez jam supra laudatus, septem hujusmodi rationes excogitavit, quæ tamen alijs posterioribus non videntur arrisisse, cum eas in elucubrationibus suis dissimulanter omiserint.

91. Prima est. Omnis revelatio & locutio divina de aliquo quod non potest sciri naturaliter, seu pro-